



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**REPERTO||RIVM LIBRORVM TRI||VM IOANNIS BOEMI DE
OM||NIVM GENTIVM RITIBVS,||**

Boehme, Johann

Augustæ Vindelicorum, 1520

VD16 VD16 B 6316

De Italia, Italorumq[ue] moribus, Item de Rhomulo & eius ciuilibus
institutis. Caput Decimumnonum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98144](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98144)

olim dicta fuit: montana plurimum præterq̄ ad ortum, qua Pannoniæ finitima est, ea parte vastam effundit planiciem.

De Italia, Italarumq̄ moribus, Item de Rhomulo & eius ciuilibus institutis. Caput Decimumnonum.

ITalia Europæ regio, prius Hesperia ab Hespero Atlantis fratre, qui a fra-
tre pulsus, & Hispaniæ & Italiæ dedit nomen: siue, vt Macrobius inquit,
ab Hespero stella, q̄ illius occasui subiecta sit. **C**Enotria etiam dicitur, vel
a bonitate vini quod in Italia nascitur. Nam Græci **C**Enon vinum dicunt,
vel ab **C**Enotrio Sabinorum rege. postea Italia ab Italo Siculorum rege, qui
agriculturam Italos docuit, & leges posuit: nam ad eam partem venit, in qua
postea Turnus regnauit, & a suo nomine appellauit vt Virgilius probat.

Est locus Hesperiam Græci cognomine dicunt,
Terra antiqua, potens armis, atq̄ vberem glebæ,
CEnotrij coluere viri nunc fama minoris
Italiam dixisse ducis de nomine gentem.

Timæus autem & Varro a bobus vocatam putant, quoniam Tauri Græca
veteri lingua ita appellati sunt, a quorum multitudine pulchritudineq̄ Italiã
dixerunt. Latium pars illa vbi hostia Tyberina sunt dicitur, quemadmodum
Ausonia, vt Aristoteles inquit, pars ad Thyrrhenũ versã. Crucis formã inter
Adriaticum & Thuseũ mare iacens, ab alpium iugis & Apennini porrecta,
se paulatim tamen ad Rhegynũ vsq̄ attollens verticem, & littora Brutiorũ.
In vltimo sui in duo cornua scinditur, quorum alterũ Ionium spectat mare,
alterũ Siculum: in extremitate Rhegiũ oppidum habens. Eius longitudo ab
Augusta prætoria per Romã Capuamq̄ porrecta vsq̄ ad oppidũ Rhegiũ.
Solino teste, decies centena & viginti milia passuum colligitur. Latitudo ve-
ro quadringenta decem, vbi latior, vbi breuior centum triginta sex: habetq̄
umbilicum in agro Rheasino, qui dudum ex latere maris superi Rubiconem
fluitũ pro finibus habuit. Diuiditur Italia in multas regiones, a Varo flumi-
ne ad Macrã Liguria terminatur, vbi Genua illustris ciuitas. Inde ad Tyberi-
num amnem. Hetruria, vbi Pisæ. a Tyberi ad Lyrim Latium, vbi Rhoma, in-
tus Antiam in ora. a Lyri ad Saturnum Campania, vbi Neapolis. Inde ad Sila-
rim Picentiorũ regio, vbi Surrentũ & Salernũ. a Silari ad Laiũ lucania, vbi
Pestũ & Buxentiũ. a Laio ad leucopetrã Brutium in quibus rhegiũ Iulium. a leu-
copetra ad Iapigiũ promontorium, quod & Salentinũ magna Græciæ ora est
vbi Croton & Tarentũ. ab Iapigio ad Brundisiũ Calabria, vbi Hydruntũ. a
Brundisio ad Garganũ Apulia, vbi Bariũ & Salapia. a Gargano a Sari fluiũ
hostio Frentinorũ regio, vbi Isoniũ. a Saro ad Aperiũ amnem Marucino-
rum ora, vbi Orton. ab Aperiũ ad Æsium fluiũ antiquissimum Italiæ
terminum Piceni, quorum Ancon. ab Æsio siue Aſio, vt quidam scribunt,
ad Rubiconem recentius Italiæ confinium Senones, quorum Pha-
num fortuna, Pisaurum & Ariminum. A Rubicone ad Padi hostia Boij,
quorum Rauenna. A Pado ad Tiliamentum Veneti, vbi nunc Venetiæ.

Hesperia

CEnotria

Italiæ appel-
latio

Latium
Ausonia

Italiæ formã

Longitudo
Italiæ

Latitudo
Italiæ

Italiæ regio-
nes

Liguria

Hetruria

Latium

Campania

Picentiorũ

regio

Lucania

Brutium

Magna græ-
cia

Calabria

Apulia

Frentinorũ

regio

Marucino-
rum

ora

Picenorũ ora

Senonũ re-
gio

Boij

Veneti

De oim gentiū ritibus.

- Apenninus mons Italia discernens.** a Tiliamento ad Natisonem Carni siue Foroiuljenses, vbi Aquileia. a Natisonem ad Arsiam lapides & Istri, quorum Tergestum & Formio amnis, & ipse aliquando Italiae finis. Apenninus mons totam terram velut in duas diuidit plagas, hanc ad occasum & meridiem, illam ad septentrionem & ortum obuersam. ab Alpibus primo in Liguriam excurrans, mox inde Cisalpinam Galliam & Picenum ab Hetruria & Sabinia dirimit, Anconemq; progreditur, vnde aduersus in Apuliam & Garganum montem extenditur, Marucinarum Pelignorum Frentinorum terram a Latio Campania separans: Vltimus eius conatus ex Gargano est ad Leucopetram, hinc Apuliam habens, Calabria & magne Graeciae oram, Picentes inde Lucanos & Brutios.
- Laus Italiae.** Est Italia metallis grauida, vbiq; vitalis & perennis salubritas, eximia coeli temperies, campi fertiles, aprici colles, innoxij saltus, opaca nemora, munitica sylvarum genera, mira frugum vitium, & olearum fertilitas, nobilia pecori vellera, opima tauris colla, perspicui & piscosi lacus, flumina fontesq; saluberrimi, portus plurimi, ipsa auide ad mortales iuuandos in maria progreditur, & velut gremium omnium gentium commercio pandens, vt vere dicta sit a quibusdam terrarum omnium alumna, atq; eadem parens, coelestium prouidentia electa, quae sparsa congregaret imperia molliretq; effertarum gentium ritus: discordes ad colloquia linguas munere literarum latinoq; sermone congregaret. Caeterum vt gentes sileam (nam longum esset numerare) quas Itali Romani lingua & armis vicere, tantum vna Quiritum ciuitas virtutum omnium valuit exemplis, quantum omnis Graecorum eloquentia praecipis, qui quali ita futurum diuinassent, vt haec vna terra omnibus esset gentibus imperitura, quotam ipsius partem magnam Graeciam dixere: & vt breuiter dicam, non sine prouidentia accidit, vt quum deus optimus terras inuisit, tum ibi cunctarum gentium arx esset & Imperium, vbi mox Christiani nominis futurum erat caput. Color Italis & statura pene diuersa est. In Cisalpina Gallia Venetoq; recessu color vulgo candidus, cultus & sermo accuratior: contra in Hetruriae tractu Latio Campania, Lucania & Brutijs aquilus, capillus niger breuior statura, & macilenta, sermo & cultus simplex, omnia similia in Piceno & his qui superi maris oram accolunt in magna Graeciam vsq; nisi q; in Apulis Calabria & ijs qui extremam tenent Italiam vinctus & sermo cum Graecis promiscuus durat. Tota Italia vt omnis fere Europa vno matrimonio semper contenta fuit. Repudium ex vrbe Roma translaticium. Hic Spurius Carbillius sterilitatem coniugis causatus, primus vxorem repudiauit. Triplex olim in regionis ciuitatibus conditio, fuit, Seruilis, Libertina, & Ingenua. Ingenuorum triplex ordo, Plebeius, Equester & Patricius. Sacrorum ratio penes pontifices & flamines, & alia quaedam collegio esse, alia alijs daemonebus sacra facere. Summus honos & potestas in dictatore, a quo nulla fuit prouocatio. Ea dignitas semestris fuit, & ad eam per gradus fiebat a questura accessus, per aedilitatem praetoram Consulatum & censuram: non q; semper per hos gradus iretur, explendusq; esset numerus, sed in dignitate potestateq; hic ordo erat, vt in re bellica certi militum gradus

miles centurioni parebat. Centurio Tribuno, Tribunus legato, Legatus Cō
 suli seu alteri cuius essent auspicia. Magister equitum dictatori. Legitima mi
 litia decennium habuit si non prius debellari cum hoste contigisset, aut mis
 sio aliqua intercidisset, quæ nomine & re non vna fuit, præter legitimam il
 lam cuius nunc mentio facta est: fuit & *Causaria*, hæc vt priore illa minus pul
 chra, ita reliqua honestior, quæ ab re ignominiosa dicta est. Militaris ætas ex
 Seruij Tullij præscripto a septemdecimo anno in octauū & quadragessimū
 decurrebat, Pacati in toga agebant, bellantes in sago, & paludamento: bellā
 feciali iure inferebant, illataq; soluebantur non nisi legitime. Ciuitates aut
 sociæ, aut coloniæ, aut municipia dicebant. Municipibus alijs ciuitas cū suf
 fragio data, alijs sine suffragio. Coloni vt membrum ciuitatis erant, & Rho
 manis viuebant legibus Municipes suis. In his decuriones erant, quod Ro
 mæ senatores. Purpura patricium distinguebat ordinem ab equestri, aurum
 equestrem a plæbeio, Maiestatis iudicia totius populi erant, Rerum capita
 lium iudicium, qui ad id sorte lecti essent, ex ea decuria, quæ eo anno iudicaret.
 Ciuilium rerum prætoris centumuiralis hastæ aliaq; aliorum. Et hi olim Ita
 licarum ciuitatū & gentium in vniuersum mores erant: institutionem hanc
 a Romulo trahentes. Romulus enim postq; ciuitatis Romane muros, fossas,
 munitiones & necessarias extructiones perfecisset omnes, ad ciuū statum
 se conuertens ita ordinauit. Diuisa imprimis trifariam omnis populi multitu
 dine singulis partibus singulos præfecit duces clarissimos: deinde triū rursus
 earum partium vnamquancq; diuidens in denas partes æquales harum quo
 q; duces designauit viros fortissimos, vocauit partes maiores tribus minores
 curias, homines tribuum ducatus habentes tribunos: qui vero curijs præside
 rent Curiones dici poterant. Erant autem & in decurias diuise curiæ, ducesq;
 earum decuriones appellati. Omnibus itaq; in tribus & curiis diuisis. Agrū
 in triginta partes diuidens, suam cuiq; curiæ partem tribuit, tantum ipse agri
 accipiens, quantum quidem ad sacrificium templaq; satis esset: partem quoq;
 agri publicam relinquens, sicq; vna diuisio regionis & hominum cōmunem
 continens æquabilitatem fuit. Altera item hominum ipsorum fuit, cōmoda
 & honores pro dignitate cuiusq; partiens. Illustres enim genere & spectatæ
 virtutis viros tum diuites, & quibus erant filij ab ignobilibus discreuit, hu
 milibus & egenis, vocauitq; tenuioris fortunæ homines plæbeios, & qui me
 lioris erant conditionis Patres his de causis progenitos eorum deinceps pa
 tricios vocabāt. Romulus vbi maiores a minoribus discreuerat leges dehinc
 posuit statuitq; qd vtrosq; agere opus esset. Sacra quidem patricos pficere,
 Magistratus gerere, ius dicere, ac secum quoq; publica administrare, urbanis
 ipsos maxime negotijs intentos esse. Plæbeios autem his muneribus solu
 tos, cum inexperti essent, & ob inopiam negotiosi, agricolari simul, &
 pascere pecora, questuariasque exercere artes: ne vero dissiderent,
 aut iniurijs locupletum in humiles, aut leuium egenorumque ho
 minum in excellentiores inuidia commendauit ipse patricijs plæ
 beios vnumquemque eorum permisit, quem vellet sibi patronum eligere,

Militiæ grā
 dus
 Legitimam
 lit. a decen
 nalis

Causaria in
 licta ignomi
 niola.

Municipes
 Coloni
 Decuriones;

Patricij
 Equestres
 Plæbei

Romanæ ci
 uicatis ordi
 natio

Hom multu
 tudo diuisa.

Agri in sin
 gulos diuisio

Altera mul
 titudinis ho
 minū segre
 gatio

Patriciorū
 officia

plæbeiorū
 officia

Patronus

De omnium gentium ritibus.

Patronatus. Patronatum vocans, susceptum pauperum humiliumque patrociniū, & officia instituens utriusque comoda beniuolas ciuilesque eorum coniunctiones fecit, ut illi tuerentur clientes, tanquam patres filios: clientes econuerso patronis obsequiosi essent: communiter autem utriusque neque pium, neque phas erat accusare se inuicem nec aduersus se testimonium dicere, nec cum iniuriosis numerari, sicut firmior erat Rhomanorum concordia, Consiliarios post hæc instituit, centum viros ex patricijs eligens, scilicetque delectum eorum hoc modo. Ipse unum ex omnibus optimum designauit, cui committenda essent urbana negotia, cum ipse exercitum extra fines duceret, tribuum unicuique edixit, ut tres viros ex se deligeret, qui ætate & generis splendore sensuque excelleret: post hos autem nouem viros, etiam curijs singulis imperauit tres maxime idoneos ex patricijs eligere, posteaque nouem istos primis a tribubus electis addens nonaginta, quos curiæ suffragijs prætulerant, eo quoque quem ipse elegerat duce addito centum consiliariorum numerum expleuit & a Romanis Senatus dici coeptus est, qui ob authoritatem Pares, ob ætatem Senatores dicti sunt. Deinde trecentos viros ex generosissimis familijs eligens robustissimis corporibus, quos Curia renunciarunt, eodem modo quo antea senatores, singule denos iuuenes, eos semper circum se Rhomulus habuit. Nomen commune omnes habebant, Celeres vocati, ab exequendi ministerij celeritate, custodes regis erant. Regis autem hæc officia, primū quidem temporum sacrificiorumque principatum tenere, agereque eum omnia in honorem cultumque deorum pia, deinde legum morisque patrij custodem ipsum fieri, iurisque simul omnis Senatum cogere, populum conuocare, potestatemque sibi in bello Imperatoriam esse, Senatorio ordini honorem & potestatem talem attribuit, omni de re, de qua referret regno, cognoscere atque suffragium ferre, & quod visum maiori parti esset id vincere. Plæbi deinde tria hæc dedit magistratus creare, leges sciscere, & de bello decernere, cum rex vellet, neque tamen potestatem horum absolutam, nisi & senatus approbasset. Ferebat populus suffragium non viritum, sed per curias conuocatus, & quod pluribus visum esset curijs, ad senatum referebatur. Nunc autem mos iste suffragiorum in plærisque locis conuersus est, neque enim de plæbiscitis senatus iudicat, sed eorum quæ senatus cognouit populus est dominus. Ex hac autem diuisione Rhomuli non ciuilia modo negotia, sed bellica quoque Celeres isti exequuntur: quandoque enim ei visum esset exercitum educere, nec tribunos tunc per tribus, nec per curias centuriones, neque præfectos equitum creari oportebat, sed rex tribunis mandare, illique curionibus, e quibus deinde decuriones edocti statutos sibi quisque milites educebat. Vna enim decenter instructi aderant. Mille etiam pugnatoreselegit, ut quidam scribunt, quos ob numerum milites nominauit. Tum ipse se Imperij insignibus, & cætero habitu & duodecim lictoribus cum fascibus præcedentibus augustiorem populo reddidit. in quo fascium numero. xii. vultures, qui ei augurium fecerunt videri potest Rhomulus secutus, nisi ab Hetruscis morem ipsum aliquis potius sumptum dixerit, quibus cum. xii. populi essent, magistratūque unum

Clientes.

**Centum viros
consiliarios
lecti**

**Senatus
Patres
Senatores
Trecenti robustissimi
le. tri.
Celeres.
Regis officia**

Dignitas senatoria concessa

**Plæbi concessit
Romulus**

**Suffragandus
ritus.**

Celerum officia

**Mille pugnatoreselegit
Miles
Lictores cum fascibus**

comuni nomine crearent: singuli suum illi apparitorem dare consueverunt. Sella curulis Trabea & aliorum Rhomanorum regum insignia omnia inde haud dubie fuerunt. Rhomulus etiam ciuitatis vires augere volens, causam honestam comentus, & rem in honorem dei referens, templum loco in vmbroso erigit confugientibusque ad illud sponsor factus est per speciem religionis erga deos: nihil eos mali ab inimicis accepturos: ac si permanere apud se vellent, ciuitates etiam participes faciebat, tradebatque agri portionem, quam bello quaesierat. Fuit item & aliud institutum, vt ne captas bello vrbes funditus euerterent, aut in seruitutem redigerent: verum missis in eas colonijs portio aliquam regionis colonias Romanorum facerent vrbes victas & reipublicae participes. Caterum post Titi Tacij caedem, cum quo & Sabinum & Rhomanum populum in vnum confluxum quinque annis gubernarat Romulus ad sacra conuersus publicis & priuata multa instituit. Legem de matrimonijs tulit, vt mulier viro socia esset pecuniarum, & ceterarum rerum, sacrorum etiam, & vt viueret ad mariti sui morem domusque vt ille dominus, ita & haec domina. Morienti viro sine liberis succederet, sui cum prole aequa sit illi pars sua. Adulterij conuictam vir & cognati vt vellent necarent. Si vinum bibisset domi vt adulteram punirent, quo instituto videri potest apud Rhomanos morem inualuisse, vt quoties viri domum se reciperent, filias & vxorem exciperent osculo: an, vt Portius Catho prodidit, olerent temetum, vt enim corruptionem insaniamque principum arbitrati sunt, ita corruptionis ebrietatem. Parentum in liberos vt omne ius sit statuit, siue vellet coercere, siue verberare, siue vincitum rustico operi detinere, vendere quoque permisit & occidere. Si quis a patre venditus se in libertatem vindicaret vt iterum ac tercio patri ius vendendissit. Fuit id legis caput. CCC. deinceps anno in duodecim tabulis relatum. Mitigauit tamen non nihil austerum carmen Numa Pompilius, qui tulit nullum patri amplius ius in filium oportere esse, vbi illius iussu duxerit vxorem. Sequuta & alia instituta. Ne quis liberę fortunę sedentariam exerceret artem. Militaris disciplina & agricultura ciuibus permissa: unde laudationis mos ille manauit ad posteros, bonus miles, bonusque colonus Imperfectum putabat Rex vtraque vitam alteram ab altera separari, necesse esse & humum exerceri, & belli obiri munera, vt lex Lacedaemoniorum habet. Operi omnes pacis tempore vacare rustico praecipit, permisit tamen mercari etiam quando res aliqua desiderabatur. Nec religionis immemor, templarum pleorumque simulacra constituit. Adiecit & dies fastos, sacrificia, ferias, nundinas, & alia pleraque ad deorum cultum pertinentia, peregrina sacra, & ea imprimis, quae graecanico fierent ritu vrbe exclusit, praeter Herculeam iam inde ab Euandri temporibus instituta. Alicarnaseus Dionysius Varronem secutus. lx. ait sacerdotes, qui publica sacra facerent tributim curiatimque ab eo institutos, additos & his aruspices diuinationum interpretes. Curiarum singulis genijs suis cum sacrorum ministris, datus communisque omnibus Vesta, & annus in decem menses digestus, quibus nemo non potest intelligere fuisse Rhomulum diuinarum humanarumque rerum non imperitum, nec arte

Apparitores

Asyllum institutum

Lex in bello obseruanda

Leges a Romulo latae

Mulier viro aequata.

Adulterae poena

Vinum mulieribus Romanis ahibitum

Ius parentibus in liberos coactum.

Sequitur alia instituta
Sedentaria ars ingenius prohibita

Peregrina sacra vrbe exclusa.
Herculeae sacra

Sacerdotes instituti
Aruspices instituti

Vesta dea tributim venerata.

De omnium gentium ritibus.

Numæ regnum populum Romanum sine moribus & religione ut plerique
 autumant mansisse. Has civiles disciplinas Rhomulus dedit. Numa Pompei-
 lius qui post eum regnum accepit, plures alias adiecit: annum ad cursum lu-
 næ in duodecim congeffit menses, quum Rhomulus ex decem antea constitu-
 isset: mutatoque mensium ordine, Martius, qui primus tum fuit, sic ineuntem in
 choabat annum, duobus Ianuario & Februario prælati, tertius in ordine est
 factus. Fastos quoque dies fecit & nefastos, quibus nihil cum populo agi pote-
 rat. Flaminem unum Ioui creavit, qui Dialis est dictus, cum insigni veste cura-
 lique sella excoluit. Adiecit & alios duos: Marti unum, Quirino alterum, ab in-
 signi quod capite gestabant, quasi Filamines dictos. Vestæ virginem legit.
 Hæ decem primos annos, sacrorum ritum perdiscabant; totidem deinde opera-
 bantur sacris, tertio decennio rudes, & nuper captas instituebant: postea ve-
 ro, si que nubere vellet, fas erat alterum mallet sequi, Salarium his ex publico
 constituit. Perpetua virginitate interim aliisque caerimonijs venerabiles fuerunt.
 Si qua incesti conuicta esset, ante ora civium mesto silentio efferbatur, vivaque
 circa Collinam portam in subterraneum specum demissa, tellureque superingesta
 necari. Gradivo Marti duodecim sacrauit Salios: hi mense, qui ab eo nomen
 traxit, plures dies celeberrimis locis urbis solenne ducebant tripudium: tunica
 versicolori tegmine puniceo distincto amicti, æneo baltheo, & gladio succin-
 cti: dextera lanceam virgamque gestabant, leua thraceam ex ære peltam, altioribus
 pileis, & in conum exeuntibus capita insigniebant. Nihil ab his diuer-
 sos fuisse, Dionysius opinatus est, quos Græci Curetas dixere, Romani a so-
 lenni saltatione. Salios pontifex est deinceps ab eo creatus, cuius potestati omnia
 sacrorum iura subiecit, quibus hostijs, quibus diebus, ad que templa sacra fieri
 oporteret formula edocuit. Interiecti etiam sunt tot sacris ordinibus Feciales,
 his ea cura tradita, ut Romani nullum iniuste bellum inferrent civibus. Hi si qua
 per iniuriam Rhomanis adempta essent, res ablatas ab hoste repetebant: quæ
 si non reddita essent, bellum composito ad id carmine indicebant. Pari potesta-
 te fontes, res iuste repetentibus ad supplicium dabant: legatorum iniurias vindicabant:
 hi que pia in foederibus essent tueri, sancire pacem, eandem si minus
 legitime pacta essent irritam habere, si quid Imperator, aut exercitus contra pu-
 blicum iusiurandum deliquisset, scelus expiare. Puerum trimo minorem Iugeri
 vetuit, neque natu grandiolem plures menses lugendum censuit quam vixisset an-
 nos. Tempus longissimi luctus in decem menses extendit. Populum in diuersis dis-
 tribuit collegia Tibicinum, artificum, architectorum, insectorum, sutorum, coriariorum,
 fabrorum, figulorum, & ex variarum artium opificibus contractis unum omnium novissi-
 mum, sua singulis sacra venerationesque dijs reddendas distribuit. Seruius Tul-
 lus in classes & centurias omnem civium multitudinem diuisit, Quorum ordinum
 ratio hæc fuit, ut hi, quorum res centum millibus æris censerent. In prima classe es-
 sent, que centurias habuit octuaginta: Pari numero iuniorum seniorumque, ut hi
 ad urbis custodiam preesto essent. Iuvenes foris bella gererent: arma veroque impe-
 rata, galea, clypeus, lorica, ocreæ, & hæc que corpus regerent, in hostes hasta
 & gladius. Aditæ huic classi diæ fabrorum centuriæ, qui in bellum machinas

Annus i mē-
sel. xij.

Fasti & ne-
fasti dies

Virgines ve-
stales

XII. Salij

Pontifex cre-
atus

Lugendi rō.

Populi i col-
legia distri-
butio

Populi in clas-
ses distribu-
tio
Prima clas-
sis

ferrent, & ob id inermes. Altera classis ex viginti facta est centurijs, quarum Scda classis
 census ab quinque & septuaginta millibus ad centum millia extendebat: arma
 illis scutum, galea, ocrea, lorica duntaxat adempta: tela in hostes eadem: idem
 ætatis discrimen. Tercie classis census in quinquaginta milia descendit, totidem Tercia clas.
 centuriarum, nec in armis quicquam præter ocreas variatum, par centuriarum numerus.
 Quartæ classis census adhuc minor, quippe qui a quinquaginta millibus in Quarta clas.
 summam dimidio minorem contraheret, nihil his datum præter verutum. Quin-
 ta clas.
 tam classem triginta centurie explevere, fundam his & lapides missiles ferre in
 pugnam commissum. Cornicines, tibicinæ, cum ipsis censu, in tris centurias dis-
 tributi, quadraginta millibus æstimata est hæc classis. Minor deinceps cen-
 sus reliquam habuit multitudinem, cui ob inopiam militiæ munus tributumque
 Tullus remisit. Ciues iuramento adigit, ut singuli bona sua æstimare, quibus
 parentibus orti essent, quos filios haberent, cuius ipsi ætatis, cuius uxores, li-
 berique, que illorum nomina, quo urbis loco, aut quo regionis pago domiciliū
 haberent, opposita his, qui fallerent, poena, ut ademptis bonis, ipsi verberibus
 casti, venderent. Peditum numero distributo, ex primoribus ciuitatis nouos
 scripsit equitum ordines ut cum his que fuerant sub Romulo inaugurata: que
 illis postea a Tarquo addita duodeviginti essent centuriarum, dena millia æris
 singulis ad emendos equos data ex publico, & ad eos alendos duo millia in
 annum constituta: vidue equibus attributa, que annuam pecuniam penderent: fue-
 runt equitum peditumque centurie centum nonaginta tres, quibus in ferendis sus-
 fragijs, sua omnibus ordinibus seruabat dignitas, ut qui plurimi censi essent,
 maiora bellorum onera sustinerent (nam ita comparatum a Seruio erat, ut non viri-
 tim ut antea, sed pro census æstimatōe singuli tributa penderent) hi primo lo-
 co suffragia iurare ut. Cæturæ habuit prima classis octoginta peditum centurias, in
 ibantque cum his eque suffragia, quod Dionysius demonstrat, ut octo & nonagin-
 ta centurie primo loco in suffragium vocarent. Excedebat hic numerus dimidium
 suffragiorum, quo factum, ut his suffragantibus conuenisset, pro decreto haberet,
 quicquid id esset, quia propter missus esset populus in suffragia. Si hic, quod raro ac-
 cidere solebat, variatum esset, scdæ classis centurie vocabantur: atque alie deinceps
 aliarum ordine, ita, ut fere nunquam sit ad extremam classem peruenit Tulli regis
 prudentia comparatum, ut ordines in eo paria facerent, ut his qui maiora susti-
 nerent onera, id commodi suffragijs reponeret, quibus licet nemo exclusus vide-
 retur, vis tamen omnis penes equites & primæ classis centurias esset constituta,
 in quorum potestate fuit creare quos vellent magistratus, sancire leges, bella in-
 dicere: quorum trium potestas ab initio fuit a Romulo populo data: deinde Tar-
 quo ex urbe eiectione iterum mutata regiminis forma est pro regibus Consules
 habere coeptum, quibus omnia in signia promissa que fuerant & regum, præter coronam
 togamque palmatam usum, Brutus cum Collatino libertatis vindicem hanc dignita-
 tem centuriatis comitijs consequutus Ciues sacramento adigit: Ne mortalium
 quenquam amplius Romæ regnare paterent, Senatorum numerum in trecentorum
 summam expleuit, Regem sacrificulum creauit, qui ea sacra perpetravit, que reges
 facere consueverant. Leges Valerius tercius consul tulit, quibus puocatio a con-
 sulibus ad populum est promissa, ut capitale esset, huic, qui iniussu populi ma-

Ciuitatis
census.

Equitumordo

Tributi pen-
sioSuffragandi
ratio.Equitum di-
gnatioConsules in-
ducti.Senatores
trecenti.
Rex sacrifici-
culus

De omnium gentium ritibus.

magistratum caperet. Cuius vectigalia tollerent, quo contigit, ut vulgo promptiores ad questus & opificia sint homines facti. Addidit & alio capite, ut qui tyrannidem affectaret impune occideret. **Ærariū** in quo publica pecunia reponeretur Saturni templum constituit: populo, ut duos quoque questores crearet, promissit. Creatus tamen non longe post magistratus ab cuius Imperio nulla esset, puo-
 catio Dictatoris ei nomen inditum a dictandi que vellet potestate, siue a dicen-
 do potius, quia non populi suffragio creari contigisset, sed ab uno esset dictus, qui
 tum summum in urbe Imperium haberet. Hunc creandi dictatoris morem vide-
 ri possunt Romani a Græcis accepisse quibus, ut Theophrastus tradidit in libris
 quos de regno scripsit, in certum tempus tyrannos, quos Elymetas dixerunt, legere
 moris fuit. Semestris illius dignitas apud Romanos fuit, nec alio pacto creari
 solebat quam cum vis aliquis maior repente exorta ingentem urbi cladem mini-
 tari videretur: hinc ceteros magistratus eligere licebat, ut magistrum equitum, qui
 secundam post eum dignitatem gerebat, presertim in equites & accensos, iunge-
 batur dictatori, sicuti regibus tribunus. Spurio Cassio & Posthumio Comi-
 nio consulibus plebsi datum est ut & suum haberet magistratum, qui sacrosanctus
 esset, qui iniuolabilis, cui auxilium latius aduersus consules esset: diserte expressum,
 ne patrum cuiusque eum magistratum cape liceret, hic tribuni plebis nomine dicebatur,
 tanta fuit ipsorum postea insolentia, ut, nisi eis placerent, decreta consulum & se-
 natorum cassarent, comitijs creabantur, siue auspicijs, siue religione: primum duo
 numero deinde tres additi ad vltimum adhuc quatuor. Tria Comitiorum genera Romæ
 olim usurpata sunt Curia, cum ex generibus hominum suffragium ferret, nomenque
 ideo rei datum, quod curiatim per licitorem calarent. Centuriata, quum ex censu, &
 ætate fieret, quorum ratio abunde relata est, ceterum, ut illa per licitorem, ita hæc
 per cornicinem calari solita. Tributa reliquum genus appellatum, ex regionibus
 & locis constata. Ex patribus centuriatis Comitibus decemviri sine puocatione
 creati, Et in eos publice administrationis ratio omnia a consulibus translata est, ut
 olim a regibus ad consules, hi condere leges iussit, decimo die ius singuli in
 orbem dicebant, quo in decem tabulas complexo, quod faustum foelixque esset,
 leges decem tabularum populo promulgauere duodecim fasces precedebant eum,
 cuius erat iurisdictio, ceteris singuli accensi. Sed diu non durauit magistratus
 ille, quippe qui ut Tribunitia potestas ab eo ex urbe in perpetuum tolleretur a patribus
 excogitatus fuerat, re cognita, ab ipsis tribunis ipse sublatus est. Tum lege cau-
 tum ut quod plebs vellet, totus populus teneret. Et alia: ut qui Tribunis plebis
 Aedilibus, iudicibus noceret, eius caput loui esset sacrum, familia ad ædem Ce-
 reris liberi liberique venderentur. Item, ut alter ex plebe consul deinceps crea-
 retur: atque ut inter patritios & plebeios conubia permiscua essent. Censores
 præterea creati duo, quibus scribarum ministerium, tabularum cura, censendi formula
 commissa. Res parua ab initio, sed que precedente tempore multo maiora quam ab initio
 credibile fuerit, habuit incrementa: Tanta illi dignatio, tanta authoritas, ut omnia
 morum civiliumque disciplinæ ratio ipsorum esset: Regimen ad hæc senatus, equitum
 Centuriarum, omne decoris ignominieque discrimen, horum priuata & publica
 loca recognoscere: vectigalia populo Romano locare, censum agere, iustrum con-
 dere, senatores e senatu remouere, notare infamia, quanto quoque anno creabantur.

Ærariū cōstitutum.

Questores creati

Dictator in vrbe.

Mg̃r equitū

Mg̃ratus sacrosanctus.

Tribuni plebis

Tria comitiū g̃na

Decemviri creati

Leges decem tabularum promulgatæ.

Censores duo creati

CHRONOLOGIA
 EPISTOLARUM
 QUAE AD
 I. PROHE...

Magistratus & alius supradictus, qui ius diceret, Praetorem hunc vocare placuit, huic ois publici priuatiq; iuris potestate pmissa, nouū ius condere, & vetera abrogare facultas: erat vnus ab initio, qui vrbanus dicebat, quo nō sufficiente, q; multi peregrini in ciuitatem venirent, alius creatus est, pegrinusq; vocatus, q; plerunq; inter pegrinos ius diceret, honorariū ius illud appellabat a magistratus honore, regia illis insignia, & apparatus consulibus pene æqualis. Permansit hic ciuitatis status ad Iulij Cæsaris vsq; tempora qui monarchiā, quę longo postea Imperatorē serie retenta est, iterū induxit. Ludus Romę celebrabat, qui Magnus Circensis etiam & plæbeus dicebat, eius pompa ex cæpitolio perforū in circū maximū mittebat tali apparatu Equitū filij, quibus ætas apta esset pōmpæ, equis sedentes, quicq; pedibus stipendia facturi erant, suis alis centurijsq; discreti pcedebant, vt exteris gentibus ostenderet qualis quantaq; iuuenturis in doles, in spem ciuitatis interim lubolesceret, hos aurigę sequebant, quadrigæ bigæq; & equi desultorij. Mox athlete leuiorū grauiūq; certaminū, pudenda tantū velati, ceterū corpus nudi, cursu, palæstra, cęstibus certaturi. Saltatorē deinceps chori virore primus, alter pubescere incipientiū, postremus puerore. Ordine deinde tibicines subseq; vtres & tibiolas inflantes citharedicq; lyras septichordes eburneas, & quę barbata nuncupata sunt habentes. Saltatorē cultus tunicę puniceę cingulis æreis strictæ, enses lateribus pendentes, tela breuiora viris, galeę ærę cristis insignes, pennisq; excultæ. Præbant choris viri singuli saltationis & tripudij modū pmonstrantes, bellicos motus, atq; vehementes pceleumaticis & rithmis imitantes. Enoplia saltatio in his vsurpata, quę & pyrrhica nuncupata est a Pallada, vt credit, repta. alij Curetes eius saltationis auctores arbitrati sunt. Enoplios choros Satyriscorū cœtus euestigio sequebat: erāt hi in Syllenos & Satyros figurati, cauillabundo motu ridicula in magnis imitantes, atq; hunc demū ordinem tibicines alij, & citharædi vario sequebant cōcentu. Ibāt inde qui passim thura & aronata thuribulis adolebant, multa q; odorę fragrantia deorū simulacra auro argentoq; cælata virore humeris ferebant. Tum demū Then sam summi vrbis magistratus, magna oim ordinū ceterua religiose sequebant, Circi area in qua hic & alij ludi agebant tria & dimidiū in longitudine stadia habuit, latitudo quaternū fuit iugerū id soli spaciū inter Palatinū & Auentinū iacens, tribus lateribus porticus paululū repandę claudebant. CL. miliū spectatores capaces, sedilia circa areā cemento exta erant, in quō sedentes spectarent. Scenici ludi in eo etiā agebant, tali primū ratione, Ludiones ex Hetruria accersebant, hi ad tibicinis modū saltantes, haud indecoros more tusco reddebant motus. Imitari hos primo Romana iuuentus, incomptis inter se carminibus iocularia fundentes, nec motus interim absorti a voce, mox diligentī vsurpatione eo pcessit vsus, vt vernaculi eius rei artifices: q; nihil iam a Tuscis ludionibus distarent, Histriones appellati sint, quia Hetrusca voce Hister ludio vocaret. Hi deinceps nō inconditū & rude carmen, alternisq; vt a principio iactatū vsurparunt q; Fescennio fuit simile, sed modulatas satyras, descripto ad tibicinem cantu, decoroq; motu pagebant. L. Andronicus ab Satyris digressus fabulā argumento fecit, factaq; cū sapius egisset, obtusa demū frequenti vsu voce, puerę qui caneret ante tibicinem statuit, inde vt ad tibicinis latūs histriones canerent receptū, vbi igit res a risu & soluto ioco auocari cœpta est, ludicq; in artem paulatim vertente, iuuentus fabularę actu histrionibus relictis vete

Pretores duo
vrbanus &
pegrinus

Ius honora-
rium.

Ludus Cir-
censis siue ple-
beus

Athlete.

Saltatores

Tibicines

Enoplia siue
Pyrrhica sal-
tatio.

Satyrisci

Circi magni
tudo

Ludi scenici

Histriones

De oim gentiū ritibus.

Consecrādi
ratio.

Albus color
Lugubris in
foeminis nis
ger lugubris
in viris.

Recētes Ita
liae mores
Cōnubium
Italiae vnum
Italiae tripli-
ci iure vti-
tus Municipi-
pale.
Iudicia Ira-
lorū Militia
Sacerdotiū
Theologi
Iurisperi-
Medici Ma-
thematici
Dialectici
Astronomi
Poetae
Grammatici
Declamato-
res ecclesiā-
Forenses
Mercatores
Pictores Sta-
tuarii Fusores
Agricolae
Rhomani rei
pecuariae de-
diti.

ri instituto ridicula versibus intexta inter se iactabāt unde exordia fabulis potissimū Attellanicis coinsera extiterūt. Id Ludionū genus ab oscis acceptū. Iuuentus tenuit nec Histrionibus attingere pmissū. Hic q̄ rōne Senatus populūq; Rhomanos suos vita defūctos impatores cōsecrare: celoq; inferre solebat: referendū duco ipsi nāq; vt Herodianus scribit: locabāt in regiē vestibulo sup̄ eburneū lectū auro stratū ima ginē, defūcto principi p̄q; similē: recūbebatq; pallida effigies it̄ modū aegrotātis: circa lectū: magnā diei partē assidebat senatus oīs ad leuā pullis vestib^o amictus: ad dexterā lectae ex oī nobilitate matronae: in albis vestib^o: Is em̄ color lugubris fuit in muliere olim: oī alioq; ornatu detracto. Id septē dieb^o defūcto dat: Medicis velut adhuc spirātē interuisentib^o denū: ciuitibusq; in dies morbū ingrauescere. Ad postre mū: q̄si tūdemū vita defūctū cōstris senatoriūq; ordīs iuuenes p̄ viā sacrā in forū deferūt: lecto in rostris depolito: pueri puellēq; patriciū gnīs cōposito ab vtraq; pte cætu hymnos in defūctū canūt: flebili carminē modulatos, dein eburneo lecto cū effigie ex foro in cāpum Martiū trās lato. Ingens ibi suggestus q̄drata forma lignea tm̄ materia cōtexti: multis gradib^o in phari specie fastigio assurgentib^o. Singuli auro & purpura instrati: signis ex ebore factis: variisq; picturis insignit̄ excolunt: ac q̄ al- tiores illi minusq; patētes: eo minores his imagines p̄minebāt. Interius erat moles aridis referta fomitib^o. Effigie sc̄do gradu collocata: oibusq; odoramentorū gnibus oīfariā admotis: q̄ certatim a tota ciuitate eo cōgerebant. Nobilissimi Iuuenes eq; stris ordīs trabeati tabernaculo obequitabāt motu q̄dam Pyrrhichio solēniq; de- cursu, Cercū agebant & currus q̄bus insidebāt rectores p̄sonas illustriū principum gerentes: ac tū demū ab imp̄ij successore face admota circūfusa multitudo ab Imis partibus molē incendit: ac simul ignis cœpit inualescere: ex aedificij fastigio aquila emittit: q̄ principis animā in cœlū ferre putabat: q̄ p̄ hęc Rhomanorū princeps cō- secratus esset: vana sup̄stitione inter deos colebat: & hęc de vrbis Rhomanę statu. Hodie Italia oīs Christianā pietatem religiosissime obseruat sacrorū cœrimonia ex Rhomanę ecclesie instituto: nisi forte in vltima eius terrę parte pauci græcū seruent ritū: & ipsi q̄dem græci generis vnū cōnubiū Italiae vt oīm: sed citra repudiū: neq; id p̄mittit nisi magna de causa: Rhomaniq; p̄ntificis p̄missū. Regū nobiliūq; principū primogeniti veteri instituto regnū obtinēt: in priuata fortuna virilis stirpis liberi ex æquo sūt hæredes: sed legitimo thoro nati. Triplici iure vti Italia pontificio, Cæsa reo: & Municipali: cōstat hoc ex lēgibus q̄s aliæ ciuitates alia sibi de causa cōdunt: ad bonū æquūq; spectāt. Iudicia rerū ciuiliūq; negotiorū: hic iudicū ordines exercēt illic magistratus: nā nō vna vbiq; est regiminis forma. Prima nobilitas militij: si sce- lix sit, Sequēs rei litterarię, Sacerdotiū magis venerabilē facit: q̄ nobilē: in cōsuetudi- ne literarū Theologi primas sibi partes vendicāt: Sc̄das ab his iuris scientię p̄iti: sūt & Medici in admiratiōe: sed maiore q̄stu, Mathematici, Dialectici, Astronomi, & Poetę magis inter se clari: q̄ vulgo cōspicui. Grammatici extremi oīm: vt q̄ inter pue- ros cōsenescāt, Est & sacris oratorib^o grande nomē: sed maior veneratio, ob pietatis studiū frēquentiore agunt teatro: q̄ forenses. His maior q̄stus: q̄ nomen. Est & Mer- catura in magna celebritate: nā precīū hodie: vt semp in p̄cio est, Pictores, Statuarii, Fusores in maiori admiratione: q̄ agricolę: et si vt audiū est prima laus apud maio- res his debebat Rhomani p̄pe modū soli Italorū pecuaria exercēt: sed mercenaria

externorū hoīm opa. Vestitus alius alijs: sed venetis laxitate insigni ac prolixitate: & in his vrbicus municipalī sumptuosior. Scdm venetos ciuilib & nitidus florentiq: & ceterę Hetrurij, Mediolanēlibus ac toti Æmilię Ligurięq; floridior: sed paulo cōtractior. Rhomę Aulicus plixitate varietateq; colorū oēs alios antecellit. Rhomanus multo frugāior: sed cui suus nō desit nitor: p̄sertim in fœminis, Neapoljs magis nitido vtiť q̄ sumptuoso: & externus gratior Italico: cetera Italia simplicius vestit: nec vnus habitus oibus: quippe quē nostra memoria sapius variari cōtigit. Ecce in Æmilia & rota Gallia Cisalpina gaudēt principes fœminę in Hispanico habitu videri: viri in Gallico malūt, iam & Rhomę muliebris sexus Tuscū nup affectabat: venetiarū matrone his paucis annis vlnas pectus & humeros nudabāt: nunc oīa cōtegunt: ac laxiorib⁹ vtunt manicis: & in Hispanicum degenerāt: veteres Rhomanorū statuę & numismata arguūt nullū apud maiores fuisse tegendi capitis vsū: nec caliga fuit nisi militaris: est hodie vtriusq; vulgatiſsimū: sed tegere caput trāslaticū in Italia: vt credere est: qđ nomen etiā declarat: nec lanei aut linei thoracis adeo frequē vsus olim: qđ ex veteri statuarū figuratiōe potest intelligi: nunc oīs iuuenū cultus in his sese p̄p̄modū effert. Italic⁹ sermo neq; ille est: qđ olim fuit: nec oīno ab eo diuersus: sed barbaris vocibus plus minulue adulterat⁹: vt hæc aut illa regio fuit externis gentibus magis obnoxia, Littoralis Histrię ora veneta plurimū vtiť lingua: qđ cōpta est: & grauis pluriūq; linguarū flore cōflata: qđ facile cōtigit in frequētissimo Italicarum gentiū cōmertiō: olim multo simplicior fuit: ac minus aurib⁹ grata Carnicus sermo plures sonat linguas ac nescio quid ab Italico diuersum: dulcior auditu: quo Taurisium, Patauium, Verona, Vicentia, Mantua ferraria vtuntur: sed in his vrbicus gratior agrēsti. Cisalpina Gallia externum quendā & a nostro alienum sonat. Nulla alioquin gens cultior aut vrbium apparatus: aut victus frugalitate. Rauennæ, Arimino, Pisauro, Fauentiæ, Bononiæ, & vniuersę Æmilię, flaminie venustus sermo, Tuscis breuis, & velut Laconicus: in alieno: qđ suo ore: grātor: quod Rhomę nuper offende bat cōmertiō gentium in dies magis excolitur, Picinis & Sabinis & Marlis crassior castigatiorq; Vmbris, Apulis, Lucanis, Brutjs, Samnitibus & ceteræ Italię rudior lingua ac minus peregrinis imbuta: præter Neapolim: vbi pleriq; Hispanicum affectant: qđ si quis altius spectet: atq; in vniuersum iudicet: nulla est ciuitas nullus populus: qui non aliquid a finitimis differat: author, Anthonius Sabellicus Enneade, XI. li. l.

Vestitus ita
lorū diuif⁹.

Rhomanorū
vestitus.

Principū fœ
minarum ve
stitus

Venerarum
matronarū
cultus.

Tegēdi capi
tis apud Ita
los olim qul
lus vsus

Caligę vsus
Thoracis
vsus

Italicus ser
mo.

Veneta lin
gua.

Carnicus ser
mo.

Cisalpinae
gallię sermo

Laus cisalpi
nę gallię.

Tusc⁹ sermo
vt laconicus
breuis

Rhomanus
sermo
Notabile

De Liguria Ligurumq; prisco viuendi
more. Caput Viceſimum

Liguria Italię Regio pro maiori parte montuosa: inter amnes variū: & Macrā ab altero latere Apenninū habens: ab altero padū Tuscīā attingēs: cuius caput nūc est, Genua A ligysto Phętonis filio dicta, cōuersione. y. in. v. vt pictor fabius pdidit: si horū gens siculi fuere: vt Thucidides arbitrat. Magna pars Italię est ab his olim possessa: Siculi ab Cenotris Italia eiecti Siciliā tenuerunt, Ligures labore plurimo cōtinuo vitā durā agunt, Nam multis arboribus oppleta regione materia est ad nauale fabricā p̄cipua: arbores tanta crassitudine: vt diametri octonos pateant

Ligurię fi
nes
Siculi ex ita
lia in Siciliā
cōpulsī.